

et donatis sub virtute sancte obediencie ac hominibus et vassallis et quibusvis aliis nobis subditis in dicta baiulia constitutis, presentibus et futuris, sub sacramento fidelitatis et homagii, quo nobis et nostre domui sunt astricti, precipimus et mandamus, ut vobis tanquam eorum superiori, preceptori et maiori reverenter pareant, obediant et intendant, vobisque suum prebeant auxilium, consilium et favorem in omnibus concernentibus utilitatem dicte baiulie, quociens opus fuerit et eos duxeritis requirendos, necnon universis et singulis fratribus domus nostre quacumque auctoritate, dignitate vel officio fungentibus, presentibus et futuris, ne contra presentem nostram donationem et gratiam aliquatenus venire presumant, quinymo eam studeant iuxta eius mentem et seriem inviolabiliter observare, ac priori seu presidenti prefato, ut vos vel procuratorem vestrum in corporalem possessionem pacificam et quietam dicte baiulie inducat et conservet inductum omni contradictione remota, amoto abinde quolibet detentore, si quis sit, quem nos amovemus per presentes et decernimus firmiter amovendum. Inhibentes vobis districtius sub virtute sancte obediencie supradicta, ne pretextu donacionis et gracie nostre huiusmodi aliqua de bonis, rebus aut iuribus memorate baiulie vendatis, detis, obligetis, impignoretis, alienetis, distrahatis, permutetis seu in emphiteosim perpetuam concedatis vel quocumque alio colore quesito extra nostram religionem transferatis sine nostra speciali licentia et mandato. Et si, quod absit, contra inhibitionem nostram huiusmodi aliquid vel aliqua operari vel facere vos contingat, illud et illa exnunc prout extunc et extunc prout exnunc cassamus, annullamus ac decernimus irritum et inane nulliusque existere penitus efficacie vel valoris. In cuius rey^j testimonium bulla nostra plumbea presentibus est appensa^k. Data Auinione die duodecima mensis Maii anno incarnationis Domini^k millesimo trecentesimo octuagesimo quinto. — *Auf der Plica unten links Cor(rec)ta, rechts R(egistra)ta.*

2.

Der Meister Fr. Riccardo Caracciolo von Neapel und die ihm assistierenden Brüder bestätigen dem Prior des Priorats Böhmen, Polen, Österreich, Mark Brandenburg und Sachsen, Fr. Herzog Siemowit von Teschen, eine Stiftung im Haus (Klein)Oels in der Diözese Breslau. Dort gab es einst

j-j) rey – appensa] etcetera AOM

k) etcetera AOM